

ventusq; morte artem reliquit imperfectam. Eius vero tempore de caelo delapsae sunt flammæ, quibus (ut Aristoteles meminit in libro de mundo) multæ regiones ad Occidentem exusta sunt. Hanc ob causam fingitur orbis terrarum, eo currum agente, inflammatus.

Venit & intravit dubitati, &c.

Imago
ambitiosi
principis.

Fabula ad mores relata exprimit imaginem ambitiosi & temerarii Principis, qui gloria & cupiditate regni incensus, cogitat sublimia, & concipit æthera mente. In scribenda hac fabula Ovidius mirè servat decorum. narrat Phaetontem esse adhuc puerum, cui propter ætatem, nihil minus conveniat, quàm rerum administratio: utque ostendat pueros, hoc est, homines ambitiosos, qui nullam rerum experientiam habent, potius repellendos à gubernaculis Reipublicæ, quàm admittendos esse, fingit Solem his verbis debortari Phaetontem;

Magna petis Phaethon, &c.

Ac quoniam constat administrationem esse rem divinam, nec evenire omnibus feliciter, subdit:

Sors tua mortalis, &c.

Reipubl.
admini-
stratio dif-
ficilis & pe-
riculosa.

Adhæc, quàm difficilis & periculosa sit Reipublicæ gubernatio, significat, cum ait:

Ardua prima via est, &c.

Etenim quicumq; accedunt ad rempublicam, initio in magnas difficultates incurrunt. Deinde, quò sublimiorem gradum obtinent, quoq; diutius gubernant, eò maiora sustinent pericula; atque experiuntur nihil omnium rerum humanarum esse difficilius, quàm gerere magistratum. Quantum vero invidia, metus, calumniæ, ac discriminis expectandum sit omnibus Reipublicæ gubernatoribus, etiã optimis & prudentissimis, admonet, cum ait:

Forfitan & lucos illic, &c.

Multæ enim existunt belluæ in Republica, Tauri, Centauri, Leones, Scorpii & Cancræ, hoc est, homines invidi & factiosi, qui omnia consilia quamvis recta & salutaria calumniantur: omnia reprehendunt ad evertendam illorum dignitatem, qui præcipue serviunt communi utilitati.

Quis